



Tractatvs De Sacramentis Et Censvris

Hurtado, Gaspar

Moretus, 1633

Dispvtatio V. De Absolutione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94788](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-94788)

mus, Patres tantum velle, eos qui audiunt necessitatem Baptismi, condemnari si baptizari nolunt, saluari tamen quando nequeunt baptizari, si habent desiderium illius; eorum tamen testimonio satisfit voto seu desiderio in contritione implicito.

Ad secundam negamus, haeretico non remitti peccata, nisi prius expressè proponat reiçere errorem, quia sufficit quod illum reiçiat, virtualiter

habendo contritionem, aut aliud iudicium saltem confusè oppositum errori, præfertim quando error non occurrit memorie. Augustinus verò vbi super tantum vult, extra Ecclesiam non esse veniam pœnitentiam, quod nobis non aduersatur, quia haereticus contritione, aut dicto iudicio absque aliquo expresso proposito, reducitur ad Ecclesiam.

D I S P U T A T I O V.

De Absolutione.

DIFFICULTAS I.

Vtrum in Ecclesia sit potestas absoluendi à peccatis.

Non desunt haeretici, qui negant Ecclesia esse potestatem absoluendi à peccatis, & ea remittendi; quibus fauere videtur illud Luca 5. *Quis potest dimittere peccata, nisi filius Deus?*

Conueniunt tamen Catholici, in Ecclesia (nempe in eius ministris) esse potestatem absoluendi à peccatis, & ea remittendi. Quod Patres communiter tradunt, & definitur in Concilio Constantiensi sess. 8. & 15. & in Lateranensi cap. 1. & in Florentino, in Decreto Eugenij IV. & in Tridentino sess. 14. c. 1. & 6.

Et id constat ex illo Ioan. 20. *Quorum remisit peccata, remittantur ei; & quorum retinueritis, retenentur.* Hæc autem verba intelligenda esse non de potestate ad prædicandam aliis remissionem peccatorum, nec ad declarandum eam esse alius factam (vt volunt haeretici) sed ad eam faciendum, Patres docent, & verba ipsa id præferunt, & definit Tridentinum sess. 14. c. 1. & can. 3. Eſſeque intelligenda de potestate ad faciendum remissionem peccatorum non in Sacramento Baptismi (vt etiam haeretici volunt) sed in Sacramento Pœnitentia, ibidem definit Tridentinum, & docent Chrysostomus Homil. 85. in Ioan. Augustinus Serm. 11. de Verbis Domini, Ambrosius lib. 2. de Pœnitentia cap. 7. & communiter Patres, & deducitur ex eo, quod potestas hæc est ad faciendum remissionem peccatorum in istar iudicij, vt denotatur collatione potestatis remitendi & retinendi, soluendi & ligandi, quod non sit sic in Sacramento Baptismi, sed in Sacramento Pœnitentia, quod in istutum est instar iudicij.

Illi verò verbis Luca 5. tantum significatur, solum Deum posse propria auctoritate remittere peccata, & id tantum volunt nonnulli Patres, dum similia verba proferunt, quod non tollit, id posse Sacerdotes vice & commissione Dei.

DIFFICULTAS II.

Vtrum potestas absoluendi à peccatis, quæ est in Ecclesia, sit absoluendi ab eis quod ad culpam.

Magister, Bonaventura, Gabriel & Maior in 4.d. 18. Marsilius quæst. 12. art. 2. Hugo

de S. Victore in Summa sententiarum Tract. 5. cap. 11. Richardus de S. Victore Tract. de Potestate ligandi & soluendi, cap. 1. & Medina Cod. de Confess. quæst. 38. §. Videur, docent, potesta tem ab soluendi à peccatis, quæ est in ministris Ecclesiæ, non esse absoluendi ab illis quoad culpam: quia existimant, Deum ante absolutionem Sacerdotis remittere culpam pœnitenti, quia existimant, eum ante absolutionem debere esse perfectè contritum. Quod tradidisse viderur Gregorius Homil. 26. in Euang. dum supponit, peccatorem prius vivificari à Deo, quā à Sacerdotibus absoluatur. Quod etiam significant Cletouen lib. 7. in Ioan. cap. 23. & Augustinus Serm. 8. de Verbis Domini. Idem quoque indicat Hieronymus in Euseb. cap. 16. Matth. dum significat, quod sicut Levitici Sacerdotes tantum discernebant inter lepram & lepram, & eam non poterant auferre; ita etiam Sacerdotes Euangelici se gerunt circa peccata.

Addunt tamen prædicti Doctores, in Ecclesia & in eius ministris esse potestatem absoluendi à peccatis quoad pœnam, quamvis varient in explicando à qua pœna, quia Hugo & Richardus existimant, in Ecclesia esse potestatem absoluendi à pœna eterna damni & sensus, Medina à pœna tantum eterna damni, & Magister à pœna tantum temporali reliqua potest remissionem culpæ.

S. Thomas verò q. 84. art. 3. & ibidem eius Expositores, Vasquez dub. 2. Suarez disp. 16. Agi-Vasquez dub. 4. dub. 2. & communiter Scholastici in 4.d. 14. docent, & merito, in Ecclesia esse potestatem absoluendi à peccatis, non tantum quoad pœnam, sed etiam quoad culpam. Et in primis in Ecclesia esse potestatem absoluendi à peccatis quoad culpam, satis significat Christus illis verbis Ioan. 20. *Quorum remisit peccata, remittuntur ei;* quia vox peccata, absolvit sumpta, culpas significat. Et ob eamdem rationem idem satis significat Eugenius IV. in suo Decreto fidei, dum ait, regim Sacramenti Pœnitentia esse remissionem peccatorum. Cui accedit, quod si res seu effectus huius Sacramenti non esset remissio culparum, sed tantum pœnarum, id declarasset Eugenius IV. & non ita absoluere loqueretur, cum procebat doctrinaliter. Et id videtur expressissime Tridentinum sess. 6. cap. 14. dum ait, Sacramento Pœnitentia, vel eius voto, pœnam eternam vñā cum culpa remitti: & clariss. sess. 14. c. 3. dum loquens de Sacramento Pœnitentia, postquam in principio dixerat, vim huius Sacramenti præcipue sicut esse in verbis absolutionis, subdit: *Res & effectus huius Sacramenti, quantum ad eum vim & efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo.* Quod etiam non leniter

Concil.
Constant.
Lateran.
Florent.
Trident.

Trident.

Ambros.

Magister.
Bonavent.
Gabriel.
Maior.
Marsil.

Pius V.
Gra. XIII.
leuiter indicant Pius V. & Gregorius XIII. in Bulla edita contra Michaëlem Baium, in qua inter alias propositiones huius Doctoris damnatas, proposi-
tio 54. est: *Peccator pœnitens non vinificatur ministerio Sacerdotis absoluens, sed à solo Deo, qui pœ-
nitentiam suggerens & inspirans, vinificat eum &
refuscit;* ministerio autem Sacerdotis solus reatus tollitur aduersary. ergo dum dicunt absolutionem Sacerdotis non deseruire ad remissionem culpe, aduersantur Scripturæ, Eugenio IV. & Tridentino, & Pio V. & Gregorio XIII.

Quod si in Ecclesia est potestas absoluendi à peccatis quoad culpam, etiam est potestas absoluendi ab illis quoad reatum pœnae aeternæ, tam damni quam sensus. Quod etiam significat Tridentinum fess. 6. cap. 14. dum ait, *Sacramento Pœnitentia, vel eius voto, pœnam aeternam vna cum culpa remitti. vbi sermo est de pœna aeterna, & absolue, absque vla limitatione.* Et ratione constat: quia si in Ecclesia est potestas remittendi peccata quoad culpam, & efficiendi pœnitentem iustum, & amicum Dei, & heredem vite aeternæ, etiam erit potestas auferendi reatum pœnae aeternæ, tam damni quam sensus, quia iste dependet in conferuari à culpa mortali, & est incompossibilis cum sanctitate & amicitia Dei.

Gregorius vero, Cletouæus, & Augustinus tantum volunt, peccatorem à Deo viuificari ante absolutionem Sacerdotis, non viuificatione sanctitatis & gratia, sed aliquali motu vita, ad quem Deus suo auxilio excitat peccatorem, nempe attritione, confessione, & alijs actibus, quibus ad gratiam in Sacramento Pœnitentia recipiendam disponitur. Et Hieronymus tantum vult, quod Sacerdotes non possint pro libito absoluere & ligare absque respectu ad distinctionem pœnitentis, cuius Sacerdotes non sunt causa, sed tantum Iudices illam discernentes, sicut nec Sacerdotes Leuiticii efficiebant leprosos, nec mundos, sed tantum discernebant qui erant leprosi & qui mundi.

Quod vero ante absolutionem Sacerdotis non sit pœnitenti necessaria perfecta contritio, dicimus Disp. VI. Diffic. II.

DIFFICULTAS III.

*Verum Absolutio conferri debeat modo
deprecativo, an indicativo.*

Onueniunt Doctores, formam absolutionis modo aut sensu deprecativo factam, nempe *Absoluit te Deus*, insufficientem esse ad valorem & essentiam Sacramenti Pœnitentia: quod efficaciter deducitur ex Decreto Eugenij IV. dum in eo forma Sacramenti Pœnitentia alignatur verbis Indicativo, nempe *ego te absolu: & ex Tridentino, dum lessione 14. cap. 3. eadem forma assignatur.* In Diæto autem Decreto, & in Tridentino absque dubio traditur forma ad essentiam & valorem huius Sacramenti requisita, ergo forma absolutionis modo & sensu deprecativo facta, non est sufficiens ad essentiam & valorem Sacramenti Pœnitentia, quia hoc modo facta est substantialiter distincta à forma modo Indicativo ab Eugen. IV. & à Tridentino præscripta. Cui accedit, quod Tridentinum subdit, nempe dictæ forma absolutionis de more Ecclesiæ preces quasdam adiungi ad

essentiam formam non pertinentes; vna autem ex precibus quæ adiunguntur, est forma absolutionis modo deprecativo facta, nempe, *Dominus noster Iesus Christus te absoluat.* ergo hoc modo facta non pertinet ad valorem & essentiam Sacramenti Pœnitentia, ac proinde nec sufficit: alias si sufficeret, cum dicta deprecatio præmititur ad absolutionem modo Indicativo factam, duplex forma, aut eadem bis repeta supra eamdem numero confessionem adhiberetur.

Ratio autem dictæ doctrinæ est, quia Sacramentum Pœnitentia institutum est à Christo instar iudicij, in quo Sacerdos constituitur iudex, vt tradit Tridentinum fess. 14. cap. 5. & can. 9. sententia autem iudicis decisiva causa, qualis est absolutionis, nequit tradi modo deprecativo; & quia in Sacramento Extremæ Unctionis Sacerdos adhibens formam, non se gerit vt iudex, sed vt medicus unctione sanans, idèo nequit adhibere formam modo Indicativo, sed deprecativo, nempe, *Indulgeat tibi Deus, &c.*

Leo ergo I. Epistola 91. relatus 33. quæst. 3. can. Leo I. Multiplex, absolutione Sacerdotis appellat supplicationem & orationem, non quia adhibetur per modum supplicationis, sed quia se habet vt oratio & supplicatio, quantum ad hoc, quod sicut Deus ad orationem & supplicationem facit quod ab ipso petitur, ita etiam ad absolutionem Sacerdotis modo Indicativo factam remittit peccata.

Observandum tamen est, formam absolutionis non tantum esse sufficientem ad valorem & essentiam Sacramenti, quando fit modo & sensu indicatio, sed etiam quando fit modo & sensu imperatio, vt dicendo *Absolui*, vel *Absoluit* *Per te*, quia sententia decisiva iudicis recte & convenienter adhibetur modo imperativo, vnde eadem verba absolutionis, quæ sensu deprecativo collata non sufficiunt, verè sufficiunt, si modo & sensu imperativo proferantur. Imò (vt contra Caietanum & Petrum Sotum adiurunt) *Scotus* in 4. dist. 14. quæst. 4. *Gabriel* quæst. 2. art. 1. *Rosella* v. *Gabriel*. *Absolui*, *Vasquez* quæst. 84. art. 3. dub. 3. & *Suarez* di sp. 19. fect. 1.) forma absolutionis est sufficiens ad valorem Sacramenti quibuscumque verbis proferatur, quoties eis significatur actus iudicis sententiam decisivam absolutionis à peccatis proferentis, nempe, *Volo absolu:ris*, *Placet te ab-
solui*: quia quoties talis actus verbis absolutionis significatur, talatur sensus Sacramentalis formæ absolutionis, quia instituta est à Christo instar sententia iudicis. Nihilominus quanvis forma absolutionis supradicto modo prolatæ sit sufficiens ad valorem Sacramenti, illicitè fieri, si non proferatur modo Indicativo, quia erit contra confitendum in Ecclesiæ solo modo Indicativo vtenis: id tamen non erit peccatum mortale, sed tantum veniale, quia ea mutatio non est grauia, sed leuis.

DIFFICULTAS IV.

*Quæ verba sint de essentia forma
Absolutionis.*

*V*erba, quibus forma absolutionis in Ecclesiæ communiter proferuntur, sunt hæc, *Ego te absolu: a peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Est tamen difficultas, *An omnia hæc sint de essentia forma absolutionis.*

Eugen. IV. Trident. Conveniunt Doctores, duo illa verba, *Absoluto* (aut alia ipsi æquivalentia) esse requisita ad essentiam formæ absolutionis. Quod indicant Eugenius IV. in suo Decreto fidei, & Tridentinum less. 14. cap. 3. dum assignantes formam absolutionis, exprimunt duo prædicta verba, & merito: quia utrolibet deficiente, deficit significatio à Christo intenta, & sensus à Christo intentus, quia deficiente verbo *Absoluto*, deficit significatio actus iudicialis sententia remissiæ; & deficiente Pronomine *te*, deficit significatio prædicta remissiæ, seu sententia remissiæ (qua ratione significatur à iudice sententia) quia non significatur prædictæ remissio, quando non declaratur, qui fiat.

Super et tamen difficultas, An dicta duo verba sufficiant ad essentiam formæ absolutionis.

Caietanus. Paludan. Caietanus in Summa v. *Absoluto*, docet, ea duo sufficere. Paludanus in 4. d. 22. q. 3. docet, non sufficere duo illa, sed necessaria esse tria hæc, *Absoluto te à peccatis*.

Durandus. Durandus eadem dicit. q. 2. docet, his tribus addendam esse invocationem Dei aut Trinitatis, & sufficere siue fiat ante illa verba, siue post.

Vasquez. Suarez. Egidius. Turrianus. Vasquez verò quæst. 84. art. 3. dub. 4. Suarez disp. 13. sect. 1. Egidius disp. 4. dub. 3. & Turrianus Complutensis disp. 2. dub. 4. docet, & merito, ad essentiam formæ absolutionis non sufficere duo illa verba, *Absoluto te*, sed necessaria esse omnia hæc verba, *Ego te absoluo à peccatis tuis*, & ea sufficere ab illo invocatione aliqua.

Et in primis ad essentiam formæ absolutionis requiri Pronomen *ego*, probatur: quia eo deficiente, deficit significatio prædicta sententia remissiæ, quia non significatur remissio declarando à quo fiat. & id indicat Eugenius & Tridentinum, dum assignantes formam absolutionis, exprimunt Pronomé *ego*. Deinde ad essentiam formæ absolutionis requiri verba illa, *à peccatis tuis*, probatur: quia absque eis non sufficiunt significatur sententia remissiæ peccatorum. Quod etiam indicant Eugenius IV. & Tridentinum, dum assignantes formam absolutionis, dicunt esse illa verba, *Ego te absoluo*, &c. quia addendo particulam &c. denoplura alia verba, quæ supra expref. formam absolutionis, ac proinde ad min. verba, *à peccatis tuis*: quia si aliqua alia præter expressa requiruntur, maximè hæc.

Quod verò sufficiant hæc, *Ego te absoluo à peccatis tuis*, & non si necessaria invocatio aliqua, probatur: tum quia ex nullo verisimili fundamento deduci potest necessitas alius invocatio, tum etiam, quia per prædicta verba sufficiunt significatur prædictæ sententia remissiæ peccatorum pœnitentis.

Obligerandum tamen est, vt optimè Vasquez, Suarez, Egidius & Turrianus, ad formam absolutionis ita necessaria esse verba hæc, *Ego te absoluo à peccatis tuis*, vt non sit necessarium exprimerre particulam *ego*, nec particulas *à peccatis tuis* (quod fortè voluit Caietanus) sed sufficere, quod continentur seu implicentur in illis verbis, *absoluo te*, vel potius quod sub eis intelligantur, vt verè in eis continentur, & sub eis intelliguntur: quia pronomen *ego* verè continentur in verbo *absoluo*, & sub eo intelliguntur, vt patet; & verba *à peccatis tuis*, in eis *absoluo te*, & sub eis intelliguntur: quia quamvis non continentur in eis absoluti prolati, nec sub eis intelliguntur; continentur ta-

men in eis, & sub eis intelliguntur, vt prolati post confessionem precedentem, & vt per eam modi- ficatis, & vt ad eam comparatis, vt verè modifi- cantur, & comparantur, quia supra eam cadunt.

Ita tamen hæc duo verba, *absoluto te*, exprefse prolati, quatenus in eis quodammodo continentur, aut sub eis intelliguntur, particula *ego* & particula *à peccatis tuis* sufficiunt ad essentiam formæ absolutionis, vt quando *ego* & *à peccatis tuis* exprimuntur, vt regulariter fit, etiam pertineant ad essentiam formæ, & cum illis duobus exprefsis ad effectum Sacramentalem concurrant, vt Vasquez adiuit, quia ex una parte, quando exprimuntur, nihil noui sensus seu significati efficiunt, sed eundem omnino sensum, ac quando tantum subin- liguntur, & quodammodo continentur in aliis; & ex altera parte potuit à Christo institut, vt pertineant essentia literis ad formam, & concurrant ad effectum Sacramentalem, siue exprimantur, siue tantum subintelligantur. Ergo credendum est ita fuisse à Christo institutum, & notissime illa, quando exprimuntur, excludere ab essentia formæ, & concursu in effectum Sacramentalem.

DIFFICULTAS V.

Vtrum formæ absolutionis possit apponi aliqua conditio.

*C*onveniunt Doctores, conditionem de pre- senti (et idem est de conditione de præterito) additam formæ absolutionis, non reddere formam irritam, si subsistat conditio, quia nec suspendit sensum, nec effectum, nec efficit aliud quod obstat posuit valori formæ absolutionis: imò nec illam reddere illicitam, quando ad eam addendam adest aliqua rationabilis causa, vt contingit quando ad valorem Sacramenti, aut vt licet fiat, necessarium est quod subsistat id, quod ponitur sub conditione, & dubium est an subsistat. Vnde Confessarius dubitans an proutlerit verba absolutionis, potest validè & licet absoluere sub hac conditione (siue vocaliter expressa, siue men- tantum concepta) *Si non es absoluimus, ego te absoluimus, &c.* Et dubitans, an puer vel an phreneticus confessus sit cum perfecto vsu rationis, potest validè & licet absoluere sub hac conditione, *Si possum, aut si capax es, ego te absoluimus, &c.* Et dubitans, an ea quæ pœnitens confessus est, siue peccata, potest validè & licet eum absoluere sub hac conditione, *Si ea quæ confessus es, sunt peccata, ego te absoluimus, &c.*

Et tamen difficultas, An formæ absolutionis possit addi conditio de futuro, v. g. *Si restituueris, ego te absoluimus.*

Caietanus v. Absoluo. Armilla eodem verbo, *Caietanus Suarez* Tom. 3. disp. 13. Vasquez quæst. 84. art. 3. Armilla dub. 5. Egidius quæst. 64. art. 8. dub. 2. Ochagavia *Suarez* *Vasquez* *Egidius* Tract. 1. quæst. 7. & communiter Doctores do- cent, & merito, conditionem de futuro, additam formæ absolutionis, non solum eam reddere illicitam & sacrilegam, sed etiam irritam & nullam. Quod Turrianus & alij probant: quia verba hæc, *Ego te absoluimus*, ratione conditionis de futuro illis addita, v. g. *Si cras restituueris, æquivalent his, ego te absoluimus*, quæ manifestè sunt in sufficientia. Hæc tamen ratio, licet aliquando nobis placuerit, iam tamen, re melius considerata, non placet: quia dicta verba,

verba, ego te absoluo, si etas restitutas, non æquivalentis, ego te absoluam, sed his, ego ex nunc te absolu, si etas restitutas, ut in simili dicimus Tract. de Matrimonio Disput. VII. Diffic. III.

Prædicta ergo doctrina ex eo à nobis probatur, quia qui profert verba abſolutionis ex intentione abſoluendi elicit, sub conditione de futuro, prius tempore finit & perficit prolationem verborum, quām perficiat intentio abſoluendi Sacramentaliter, seu efficiendi quod prolatione ipsa verborum fiat pars Sacramentalis, & prius quām intentio ipsa definiat esse ſuſpensa (vt in simili de conſenſu, seu intentione contrahendi matrimonium elicit, sub conditione de futuro, ſignificatur in cap. Super eo 5. de Conditionibus) quia dicta intentio eft ſuſpensa, & non eft perficēta quoque impleatur conditio. Prolatio verò verborum abſolutionis ſtatiu ac eft, finitur & perficitur, & non manet ſuſpensa, vt patet, quia nulla actio materialis, v. g. prolatione verborum, abſolutio, vnde, ſuſpendi potest, quia ipſi nulla potest addi conditio adhuc de praesenti, quamvis per ignoratiā ei intendatur addi & apponi, etiam si addi poſſit intentioni efficiendi aliquam materialē actionem partem aliquiū Sacramenti. In potestate autem ministri Sacramenti non eft, quod omnes partes Sacramenti iam finiti & positi, manent Sacramentaliter ſuſpensa, seu expectantes rationem Sacramentalem pendente ex perfectione intentionis minifcienda per impletionem conditionis de futuro, quia statim ac finiuntur, debent habere eam rationem Sacramentalem, aut numquam habebunt: ergo conditio de futuro appofita prolatione verborum abſolutionis, efficit illam Sacramentaliter nullam, & conſequenter etiam illicitam & sacrilegam.

Quod si Index exterior dicens, *Ego ex nunc te abſoluo ab hoc delicto, si etas feceris hoc, validè abſolutio, dum lex aliqua nō obſtar.* Ratio eft, quia iſte index potius abſolutio voluntate exteriū expreſſa (quam potest conditioni de futuro alligare) quam verbiſ ipſiſ. Ratio verò Sacramenti abſolutionis non conuenit intentioni Sacramentaliter abſoluendi adhuc vocaliter expreſſa, fed ipſi prolatione verborum, & ideo hæc prolatione ſemel finita & perfecta, præsuppositis attritione & confeſſione, ſtatiu ex intentione ministri debet habere rationem Sacramenti, aut numquam illam habebit.

Vnde quando Prælatus committit Confessarij inferiori abſolutionem à ſibi reſeruatis, ſub ea conditione quod pœnitentia poſteā illa cadem peccata reſeruata iterū ſibi confeſteatur, ita intelligendum eft, non quod abſolutio Confessarij inferiori confeſſenda ſit ſub ea conditione, ſi poſteā confeſſearis Prælato, quia hæc conditio redderet abſolutionem nullam & sacrilegam; ſed ita vt Confessarij inferiori obliget pœnitentem ad id ſiue præcepto, ſiue promiſſione, ſiue aliter, de quo dice- mus Disput. II.

DIFFICULTAS VI.

Vtrum abſolutio poſſit confeſſari abſenti.

Paludan. Pet. Sotus. Anton. Silvester. Medina.

P Aludanus in 4. d. 17. quæſt. 2. Petrus Sotus lec. 11. de Cōfeſſione, Antoninus 3. p. tit. 14. cap. 19. Silvester v. Cōfeſſio 3. & Medina Cod. de Cōfeſſione, quæſt. 15. docent, abſolutionem poſſe valide confeſſari abſenti (& conſequenter etiam

licitè in caſu neceſſitatis:) quod videtur ſupponere Cyprianus lib. 3. epift. 17. dum ait, lapsos per litteras ab ipſo petiſſe reconciliationem. Etidem ſenſiſe videtur S. Thomas Cantuariensis, qui dicitur S. Thomas in iſtante morte miſiſſe ad Curiam pro abſolutio- CANTUAR.

Sotus verò in 4. d. 18. quæſt. 2. art. 6. Valentia Sotus. disp. 7. q. 11. p. 10. Toletus lib. 3. cap. 6. Valquez Valentia. quæſt. 91. art. 4. dub. 2. Suarez disp. 19. feſt. 3. Aegi- Tolerus. dius disp. 4. dub. 10. Reginaldus lib. 6. n. 5. Bona- Valquez. Suarez. cina disp. 5. q. 4. p. 5. & Laymannus tract. 6. c. 3. Aegidius. docent, & merito, abſolutionem non poſſe valide Reginaldus. ferri in abſente, quamvis cōfeſſio facta fuerit in Bonacina. præſentia. Quod adeò verum eft, vt Clemens VIII. Layman. C. VIII. anno 1602. oppoſitum ad minus dannauerit ut falsum, temerariū & scandalosum, ac prohibuerit & præcepere, ne vñquā ut probabile defendatur, quod factum fuit his verbiſ: Sanctissimus Domi- nus noster, &c. re maturè ac diligenter conſiderauit, hanc propositiōnem, ſculicet licere per litteras ſeu in- terventum Confessario abſenti peccata Sacramen- taliter confeſſari, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere, ad minus vñi falſam, temerariam & scan- dalosum dannauit ac prohibuit, præcepitque, ne vñ- quam tamquam aliquo caſu probabilis defendatur. Vbi non ſolū declarat, abſolutionem ab abſente collatam eſſe illicitam, dum dannat aſſerere illam licere, ſed etiam eſſe nullam, quia id intendit, & in eo ſita erat controverſia: quod latiſ exprimit, dum abſque reſtrictiōne dannat aſſerere quod licet, & dum prohibet defendere, illam licere in aliquo caſu: quia ſi non eſſet nulla, verò eſſet licita in aliquo caſu. In hoc autem Decreto non ſolū dannatur dicta propositio, particula illa & ſumptu co- pulatiuē ſeu complexiuē, ad cuius fallitatem ſu- ficit falſitas cuiuslibet partiſ; ſed etiam ſumptu di- uſiuē, ita vt quæſit pars ſeorsim dannata ſit, id eft, quod tam confeſſio per litteras ſeu inter- ventum ſit nulla, ſine abſolutio ſiat in præſentia pœ- nitentis, ſine in abſentiā, quam abſolutio collata ab abſente, ſine confeſſio facta ſit Sacerdoti præ- ſenti, ſine abſenti, vt Paulus V. declarauit. *Paulus V.*

Ratio à priori huius veritatis eft intentione Chri- ſti inſtituentis pro forma Sacramenti Pœnitentia abſolutionem a præſenti collaram: hæc autem in- ſtitutio Chriſti conſtat ex perpetuo vñſ Ecclæſiæ, quam numquam vñſ eft abſolutione in abſentiā, ſed tantum in præſentia, cui Clemens VIII. inmixtus oppoſitam doctrinam damnauit, & cui Paulus V. etiam inmixtus, damnationem à Clemente factam approbavit.

Cyprianus ergo tantum vñſ, ab ipſo fuſſe pe- titam publicam aliquam pœnitentiam pro recon- ciliatione, ſeu abſolutione publica ab excommuni- catione, non pro reconciliatione Sacramentali. Nec S. Thomas Cantuariensis miſit ad curiam pro abſolutione Sacramentali, ſed vel pro indulgentia (que etiam eft quadam abſolutio) vel pro abſolu- tione ab aliqua censura, ad cautelam.

Ad rationem verò concedimus, in iudicio hu- mano ſententiam ferri in abſente, quia ita iure humano ſancitum eft, non verò ſententiam abſolutionis Sacramentalis, quia ita Christus iſtituit. Vnde Sacramentum Pœnitentia non eft quod omnia iſtitutum in ſtar iudicii humani.

DIFFICULTAS VII.

Vtrum absolutio possit validè per scriptum conferri.

EX dictis Difficultate precedenti constat, absolutionem à Confessario absente collatam, siue verbo siue scripto, esse nullam. Est tamen modò difficultas. An absolutio sit nulla ex eo præcisè quod conferatur scripto, quamvis à Confessario praesente.

*Paludan.
Pet. Sotus.
Magina.*

*Suarez.
Valentia.
Layman
Bonacina.
Egidius.*

Trident.

Paludanus in 4. dist. 17. quæst. 2. Petrus Sotus lect. 1. de Confessione & Medicina Cod. de Confessione quæst. 15. docent, absolutionem posse scripto validè conferri. Primo, quia confessio potest scripto validè fieri, ergo etiam absolutio. Secundo, quia in iudicio humano (instar cuius Sacramentum Pœnitentia institutum est) potest sententia validè scripto conferri, & de facto confertur, ergo etiam in iudicio confessionis, sententia absolutionis.

Suarez verò disp. 21. sect. 3. Valentia disp. 7. puncto 3. Laymannus tractatu 6. cap. 3. Bonacina disp. 5. q. 4. puncto 6. Egidius disp. 4. dub. 9. & iam communiter Doctores docent, & merito, absolutionem non posse validè scripto conferri: quod confit ex perpetuo vnu Ecclesia, que numquam vna est absolutione in scriptis, & multò minus nutibus, sed tantum verbis. Et deducitur ex decreto Eugenij IV. vbi postquam generaliter dixerat, Sacraenta constare verbis tamquam formâ, hoc limitat in Sacramento Matrimonij, dum ait, causam efficientem matrimonij regulariter esse mutuum consentum per verba de præfenti expressum, quibus denotat, in alijs Sacramentis semper esse necessaria verba strictè sumpta, & non sufficiere scripturam, & multò m inus nutus, que sufficiunt in Sacramento matrimonij. Quod etiam deducitur ex Tridentino sess. 14. cap. 3. dum ait, formam Sacramenti Pœnitentia sitam esse in illis verbis ministri, *Ego te absoluo*. Ratio à priori huius est institutio Christi, que nobis cōfitt ex perpetuo vnu Ecclesia, & ex Eugenio IV. & ex Tridentino.

Ad primum ergo rationem concedimus, confessionem posse validè fieri scripto & nutibus, non tamen absolutionem, quia Christus instituit illas sic (vt confit ex vnu Ecclesia) & fatus congruerter, quia vix potest offerri necessitas conferendi absolutionem in scriptis, & nutibus, potest tamen sèpè offerri necessitas confitendi scripto & nutibus. Et ad secundam concedimus, in iudicio humano sententiam validè scripto ferri, quia ita sanctum est legibus humanis; non tamen in iudicio confessionis, sed solum verbis, quia Christus ita instituit.

DIFFICULTAS VIII.

*Quid significant verba absolutionis, nem
pe, Ego te absoluo à peccatis tuis.*

IN primis hæretici (qui, vt diximus Difficultate 11. dicunt, in Ecclesia non esse potestatem remittendi peccata) existimant, sensum eorum verborum formæ absolutionis, *Ego te absoluo à peccatis tuis*, esse, *Ego te absolum declaro*. Hacten expositio sensus, seu significatio verborum formæ

absolutionis, præterquam quod est contra proprietatem verborum, & absque necessitate, quia proprietate seruata possunt aliter & optimè explicari, etiam est damnata à Tridentino sess. 14. *Trid.* cap. 6. & can. 9.

Secundo, Theologi (qui, vt diximus Difficultate 11. dicunt in Ecclesia non esse potestatem remittendi peccata quod culpam, sed tantum quod ad pœnam) existimant sensum dictorum verborum esse, *Ego te absoluo à peccatis tuis quod pœnam*. Hæc etiam expositio nobis non probatur, quia præterquam quod ad sic exponendum verba illa, falso initinuntur fundamento, vt vidimus ea Difficil. 11. & præterquam quod est contra proprietatem verborum, & absque necessitate, nequit cum ea expositio confitente veritas illorum in eo, qui post remissionem suorum peccatorum quod ad culpam per contritionem perfectam, & quod dignitatem totius pœnae etiam per contritionem & per alia opera penalia confiteretur, & subiicitur absolutioni peccata sic remissa, vt teneret conitteri & subiicere absolutioni.

Tertio, alij existimant, sensum dictorum verborum esse, *Ego te absoluo ab obligatione confitendi, seu subiiciendi clauibus Ecclesia peccata mibi legitime confessæ*. Sed nec expositio hæc placet, quia præterquam quod est contra proprietatem verborum, & absque necessitate, nequit cum hac expositio confitente veritas illorum in eo, qui tantum confiteretur peccata venialia aut mortalia, à quibus fuit anteà legitimè absolutus, quia in illo non est obligatio confitendi & subiiciendi absolutioni dicta peccata.

Quarto, S. Thomas q. 84. art. 3. ad 5. existimat, sensum horum verborum, *Ego te absoluo à peccatis tuis, etc. Ego tibi Sacramentum absolutionis impendo*. Hæc explicatio, quamvis in aliquo sensu recta sit, tamen vi iacet & sonat, est difficilis & obscura, quia, præterquam quod est contra proprietatem verborum, qui absoluunt non confert totum Sacramentum Pœnitentia, sed tantum applicat formam materiæ suppositæ à pœnitente, & quantum est ex se, solum vt cœla partialis confert effectum Sacramenti.

Quarto, Suarez disp. 19. sect. 2. existimat, sensum verborum formæ absolutionis esse, *Ego, quantum est ex me, confero tibi gratiam remissiæ peccatorum*. Hæc etiam expositio, quamvis in aliquo sensu recta sit, tamen vi iacet & sonat est difficilis, quia dicta verba, significatio quam habent ex institutione hominum, propriè significant remissionem peccatorum, & id sonant, & non gratiam remissiæ; & hæc significatio potest salua confitente attenta virtute & effectu sacramentali verborum: ergo eam remissionem significant, & non gratiam remissiæ, quamvis hæc sit necessaria ad eam remissionem, vt dicta verba verificantur.

Sensus ergo eorum verborum formæ absolutionis, *Ego te absoluo à peccatis tuis*, sicut quod per ea significatur, est, *Ego, quantum est ex me, remitto tibi peccata tua quod culpam, & quod id quod ad remissionem culpa consequitur*. Quia ex una parte dicta verba hanc remissionem propriè significant significatio, quam habent ex humana institutione, quia peccata absolute prolatæ culpas significant; & à peccatis absoluere, absolutæ prolatum, significant à peccatis liberare, & ea remittere: & ex alia parte significatio dicta potest

salua

salua confistere, attentâ virtute Sacramentali ipsorum verborum, quam habent ex superaddita institutione Christi, & attempo effectu Sacramentali ipsorum. Quia dicta verba ex institutione Christi, tamquam pars essentialis formalis completiua Sacramenti Pœnitentia, simul cum contritione & confessione pœnitentis presuppositis, conferunt, quantum est ex se, gratiam ex se remittentem peccata saltem quoad culpam, etiam si aliquando per accidens non remittant illa in actu secundo, quantum præsupponuntur remissa; minister ergo abolutionis, præsuppositis sufficiente contritione & legitima confessione pœnitentis, verè profert & dicit, *Ego quantum est ex me, seu quantum ad me attinet, remitto tibi peccata tua quoad culpam, & te ab eis libero quodam tam, quia ipsè suis verbis, ut instituit à Christo, confert pœnitenti gratiam quantum est ex ipsa remittentem peccata, quo minister verificat sensum & significatum dictorum verborum.* Et in hoc sensu potest habere locum expostio S. Thomæ, & etiam expostio Suarez, quia scilicet minister efficit completiua Sacramentum, & confert gratiam Sacramentalem, quibus dicta

significatio verborum verificatur; & non quia dicta verba significant collationem Sacramenti absolutionis, nec gratiam remissiunam.
Verba ergo absolutionis, *Ego te absoluo a peccatis tuis*, significacione verbali, quam habent ex hominum institutione, significant remissionem ipsam peccatorum saltem quantum ad culpam, & eam totaliter & sufficienter significant; significatio vero Sacramentali, quam habent ex superaddita institutione Christi, immediate significant (sicut & conferunt) gratiam remissiunam peccatorum, ratione cuius verificant dicta verba quoad significacionem verbalem, quam habent ex institutione hominum, quia ratione talis gratia & mediante ipsa verificatur, quod minister absoluens quantum est ex se remittat peccata, & ab eis liberet. Hactenam significatio Sacramentalis indubitate conuenit absolutioni Sacerdotis, & contritioni & confessioni penitentis simul sumptis, & non soli absolutioni, & in illis tribus sic sumptus est indubitate (ea proportione qua anima rationis est indubitate tota in omnibus partibus corporis) & non in sola absolutione.

DISPUTATIO VI.

De contritione peccatorum requisita ad effectum & ad valorem Sacramenti Poenitentiae.

NOMINE contritionis intelligimus dispenitentiam peccati, prout abstrahit sub disunctione à dispenitentia pura, quæ non est formaliter dolor, sed radix illius; & à dispenitentia dolorosa, orta ex dicta pura dispenitentia: intelligimus enim vnam vel alteram sub disunctione, quia ad effectum, & ad valorem Sacramenti Pœnitentia eodem modo sufficit aut non sufficit vna & altera & vtrique pœnitentia appellari dolor, quia prior est radicaliter dolor, & posterior est dolor formaliter; & nomine contritionis intelligimus contritionem sub disunctione, abstrahentem à perfecta & ab imperfecta, vnam videlicet vel alteram sub disunctione.

requiratur aliqui expressa contrito ad percipiendum fructum seu effectum huius Sacramenti.

Silvester v. *Confessio* 1. q. 21. Rosella v. *Confessio* 1. §. 4. & Angelus v. *Confessio* 1. num. 27. docent, ad id sufficiere intentionem suscipiendi Sacramentum ipsum, & non esse necessariam aliquam expressam contritionem seu dispergientiam; quia intentio suscipiendi Sacramentum Pœnitentiae, est quædam virtualis contritio, & dispergientia peccatorum, qua ad id sufficiens videtur.

Silvester
Rosella
Angelus

Suarez vero d. 26. sect. 1. Vasquez q. 92. art. 1. Suarez. dub. 1. *Ægidius* disp. 4. dub. 5. & communiter. Vasquez. *Ægidius*. Doctores docent, ad id non sufficere voluntatem suscipiendo *Sacramentum Pénitentiae*, sed necessariam esse aliquam expreſſam contritionem, seu disponentiam peccatorum: quod aperie constat ex Decreto Eugenij IV. & ex Tridentino sess. 14. Eugen. IV. cap. 4. dum dicunt, contritionem (quam asserunt Trident. esse dolorem, & Tridentinum addit, & detestacionem) esse partem *Sacramenti Pénitentiae*, & ut ex contextu constat, absque dubio loquuntur de contritione expreſſa, & de expreſſo dolore: est autem contrito, ut diximus Disputatione IV. Difficultate 1. pars essentialis, & requisita ad essentialium *Sacramenti Pénitentiae*; ergo contrito expreſſa etiam est requisita ad percipiendum effectum huius *Sacramenti*, quia non cauſatur nisi ab iplo *Sacramento* essentialiter perfecto. Requiri autem ad effectum huius *Sacramenti* non iolum ut parte, sed etiam ut dispositionem, satis significat Tridentinum dicto c. 4. ad finem.

Vnde post Decretum Eugenij IV. & post Tridentinum, opinio aduersariorum non est satis tuta.

Supponimus (in quo conueniunt Doctores) ad effectum Sacramenti Pœnitentia percipiendum, gratiam videlicet Sacramentalē remissiūm peccatorum, requiri in pœnitente intentionem seu voluntatem suscipiendi hoc Sacramentum, quia ex institutione Christi requiritur ad valorem seu essentiam Sacramenti, non tamquam partem supra quam cadat ab solutio, sed tamquam quid præiūm ad ipsam essentiam: ab illa effientia autem seu valore Sacramenti nequit percipi fructus illius, quia iste causatur, ab ipso Sacramento essentialem perfecto.

Hoc supposito, difficultas est, An præter intentionem suscipiendi Sacramentum pœnitentia-